

Bijlage VWO
2014

tijdvak 2

Latijn

Tekstboekje

Tekst 1

Picus, Canens en Circe

332 Spretis tamen omnibus unam
333 ille colit nymphen, quam quondam in colle Palati
334 dicitur Ionio peperisse Venilia Iano;
335 haec ubi nubilibus primum maturuit annis,
336 praeposito cunctis Laurenti tradita Pico est,
337 rara quidem facie, sed rarior arte canendi,
338 unde Canens dicta est; silvas et saxa movere
339 et mulcere feras et flumina longa morari
340 ore suo volucresque vagas retinere solebat.
341 Quae dum feminea modulatur carmina voce,
342 exierat tecto Laurentes Picus in agros
343 indigenas fixurus apros; tergumque premebat
344 acris equi laevaue hastilia bina ferebat,
345 poeniceam fulvo chlamydem contractus ab auro.
346 Venerat in silvas et filia Solis easdem,
347 utque novas legeret fecundis collibus herbas,
348 nomine dicta suo Circaea reliquerat arva.
349 Quae simul ac iuvenem virgultis abdita vidit,
350 obstipuit; cecidere manu quas legerat herbae,
351 flammaque per totas visa est errare medullas.
352 Ut primum valido mentem collegit ab aestu,
353 quid cuperet fassura fuit; ne posset adire
354 cursus equi fecit circumfususque satelles.
355 ‘Non’ ait ‘effugies, vento rapiare licebit,
356 si modo me novi, si non evanuit omnis
357 herbarum virtus nec me mea carmina fallunt.’
358 Dixit et effigiem nullo cum corpore falsi
359 finxit apri praeterque oculos transcurrere regis
360 iussit et in densum trabibus nemus ire videri,
361 plurima qua silva est et equo loca pervia non sunt.
362 Haud mora, continuo praedae petit inscius umbram

363 Picus equique celer spumantia terga relinquit
364 spemque sequens vanam silva pedes errat in alta.
365 Concipit illa preces et verba precantia dicit
366 ignotosque deos ignoto carmine adorat,
367 quo solet et niveae vultum confundere lunae
368 et patrio capiti bibulas subtexere nubes.
369 Tum quoque cantato densetur carmine caelum
370 et nebulas exhalat humus, caecisque vagantur
371 limitibus comites, et abest custodia regis.
372 Nacta locum tempusque 'Per o tua lumina' dixit
373 'quae mea ceperunt, perque hanc, pulcherrime, formam
374 quae facit ut supplex tibi sim dea, consule nostris
375 ignibus et socerum qui pervidet omnia Solem
376 accipe, nec durus Titanida despice Circen.'
377 Dixerat; ille ferox ipsamque precesque relinquit
378 et 'Quaecumque es' ait 'non sum tuus; altera captum
379 me tenet et teneat per longum, comprecor, aevum,
380 nec Venere externa socialia foedera laedam,
381 dum mihi Ianigenam servabunt fata Canentem.'

Ovidius, Metamorphoses 14, 332-381

Tekst 2

Ceres en Proserpina

585 Questa diu secum, sic est adfata Tonantem
586 (maximaque in vultu signa dolentis erant):
587 'Si memor es de quo mihi sit Proserpina nata,
588 dimidium curae debet habere tuae.
589 Orbe pererrato sola est iniuria facti
590 cognita: commissi praemia raptor habet.
591 At neque Persephone digna est praedone marito,
592 nec gener hoc nobis more parandus erat.
593 Quid gravius victore Gyge captiva tulissem
594 quam nunc te caeli scepra tenente tuli?

595 Verum impune ferat, nos haec patiemur inultae;
596 reddat et emendet facta priora novis.'
597 Iuppiter hanc lenit, factumque excusat amore,
598 'Nec gener est nobis ille pudendus' ait;
599 'non ego nobilior: posita est mihi regia caelo,
600 possidet alter aquas, alter inane chaos.
601 Sed si forte tibi non est mutabile pectus,
602 statque semel iuncti rumpere vincla tori,
603 hoc quoque temptemus, siquidem ieiuna remansit;
604 si minus, inferni coniugis uxor erit.'
605 Tartara iussus adit sumptis Caducifer alis,
606 speque redit citius visaque certa refert:
607 'Rapta tribus' dixit 'solvit ieiunia granis,
608 Punica quae lento cortice poma tegunt.'
609 Non secus indoluit quam si modo rapta fuisset
610 maesta parens, longa vixque relecta mora est.
611 Atque ita 'Nec nobis caelum est habitabile' dixit;
612 'Taenaria recipi me quoque valle iube.'
613 Et factura fuit, pactus nisi Iuppiter esset
614 bis tribus ut caelo mensibus illa foret.
615 Tum demum voltumque Ceres animumque recepit,
616 imposuitque suae spicea sarta comae:
617 largaque provenit cessatis messis in arvis,
618 et vix congestas area cepit opes.
619 Alba decent Cererem: vestes Cerialibus albas
620 sumite; nunc pulli velleris usus abest.

Ovidius, Fasti 4, 585-620

Tekst 3

*Het verhaal over Proserpina komt ook voor in de Metamorphoses.
In onderstaand fragment reageert Ceres op het bericht dat Proserpina in
de onderwereld gezien is.*

509 De moeder zat, na 't horen van die woorden, als versteend
510 en leek voor lange tijd verslagen. Toen de diepe schok
511 had plaats gemaakt voor even diep verdriet, steeg ze per wagen
512 naar 't hemelrijk, alwaar zij met bewolkt gelaat en wijd
513 loshangend haar voor Jupiter ging staan, vervuld van haat,
514 en tot hem zei: 'Ik kom je smeken voor mijn eigen kind,
515 het jouwe ook. Als ik als moeder geen gehoor vind bij je,
516 laat dan je vaderhart maar spreken! Denk ook alsjeblijft
517 niet min van haar, omdat ik haar het leven heb geschonken!
518 Let wel: pas na lang zoeken vond ik eindelijk mijn kind -
519 als je van "vinden" spreekt bij het ontdekken van verlies,
520 als weten waar zij is ook vinden is ... Ik wil de roof
521 nog wel vergeven, als hij haar maar terugbrengt ... Nee, j ouw dochter
522 - als ze al niet de mijne is - hoeft toch geen dief te trouwen!'

Jupiter probeert Ceres te kalmeren en stelt een compromis voor.

564 Jupiter, als bemiddelaar tussen zijn broer en zuster
565 - de droeve Ceres - , deelt de zonnejaarkring in twee helften.
566 Sindsdien heeft Proserpina als godin een dubbel rijk
567 en woont zes maanden bij haar moeder, daarna zes bij Hades,
568 waarbij zij ook van stemming wisselt en van uiterlijk.

Ovidius, Metamorphoses 5, 509-522 en 564-568

Tekst 4

De goddeloze, eenogige reus Polyphemus is verliefd op de zeenimf Galatea en heeft haar allerlei geschenken in het vooruitzicht gesteld, maar zij wil niets van hem weten. In onderstaande tekst probeert hij indruk op haar te maken door al zijn lichamelijke kwaliteiten te beschrijven.

839 Iam, Galatea, veni nec munera despice nostra!
840 Certe ego me novi liquidaeque in imagine vidi
841 nuper aquae placuitque mihi mea forma videnti.
842 Adspice, sim quantus: non est hoc corpore maior
843 Iuppiter in caelo — nam vos narrare soletis
844 nescioquem regnare Iovem — ; coma plurima torvos
845 prominet in vultus umerosque, ut lucus, obumbrat;
846 nec mea quod rigidis horrent densissima saetis
847 corpora, turpe puta: turpis sine frondibus arbor,
848 turpis equus, nisi colla iubae flaventia velent;
849 pluma tegit volucres, ovibus sua lana decori est:
850 barba viros hirtaeque decent in corpore saetae.
851 Unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
852 ingentis clipei. Quid? Non haec omnia magnus
853 Sol videt e caelo? Soli tamen unicus orbis.

Ovidius, Metamorphoses 13, 839-853

Aantekeningen

<i>regel 839</i>	Iam eindelijk veni <i>imperativus</i>
<i>regel 840</i>	imago weerspiegeling vidi <i>Vul aan: me</i>
<i>regel 842</i>	sim quantus <i>Lees: quantus sim</i>
<i>regel 844</i>	nescioquis een zekere
<i>regel 845</i>	promineo in + <i>accusativus</i> hangen voor vultus <i>Vertaal als enkelvoud</i>
<i>regel 846-847</i>	nec t/m puta <i>Lees: nec turpe puta quod mea</i> corpora densissima rigidis saetis horrent
<i>regel 846</i>	quod dat horreo ruig zijn saetae stekelhaar

<i>regel 847</i>	corpora <i>Vertaal als enkelvoud</i>
<i>regel 847 en 848</i>	turpis <i>Vul aan: est</i>
<i>regel 848</i>	colla <i>Vertaal als enkelvoud</i>
<i>regel 849</i>	decori sum <i>een sieraad zijn</i>
<i>regel 850</i>	barba en hirtae saetae <i>onderwerp van decent</i> hirtae saetae <i>borstelig stekelhaar</i>
<i>regel 851</i>	lumen <i>oog</i> instar + <i>genitivus</i> <i>even groot als</i>
<i>regel 852</i>	clipeus <i>schild</i> Quid? <i>En wat dan nog?</i>
<i>regel 853</i>	unicus orbis <i>Vul aan: est</i> unicus <i>slechts één</i> orbis <i>oog</i>